QVÆSTIONES QVATVOR MEdicæ quas per Intentionem vocant propoſitæ & examinatæ à ſingulis profeſſoribus pro Licentiæ gradu conſequendo.

QVIBVS ANNECTVNTVR LEMMATA DVO SORTE oblata, ex arte parua Galeni, & Aphoriſmis Hippocratis eruta, pro arduo illo experimento quod rigoroſum nuncupant.

Propugnante ABEL BRVNIER Pariſino, Artium Magiſtro & Medicinæ Baççalaureo.

In priuato medicorum Monſpelienſium Conclaui.

MONSPELII.
Apud Ioan. Pech Typographum Regium & Vrbis.

M. DC. XL.





ILLVSTRISSIMO REVERENDISSIMOQ. D.D.

LVDOVICO DE LA RIVIERE

ABBATI DIGNISSIMO DE S. PERE, ET APVD Serenissimum Aurelianensium Ducem Regis Christianissimi Fratrem vnicum Oratorij Magistro.

ABEL BRVNYER. S. P. D.

NAtalium splendor quamplurimos ad reipublicæ gubernacula solet admouere: & amplissimis honorum titulis gaudet ambitio legitima, nec omnes despicit fortunæ benignitas, cùm suas apud plærósque deponat alas & globum. Quæ tria magnifica quidem & augusta per orbem terrarum sparsêre tantùm luminis, vt ad ipsum caligaret indoctæ multitudinis hebes oculus. Ast vbi coruscarunt mentis acutæ radii, & vox intonuit vibrans igneas consiliorum faces, hæ primò fuerunt horrori, mox admirationi Principibus viris, ac in eorum adyta vi sua singulari penetrarunt. Hinc emicat autoritas, atque stupenda, Maiestatis instar, ingeniorum potestas: Quid enim non potest animi rarißimi viuax, & bene morata subtilitas in rebus ordinandis? Hanc animi tui præstantiam suspexit Serenissima Celsitudo Regia. Hanc & Eminentia mentium in Gallis haud vnquam despexit. Hanc ingeniosissimi Magistratuum demirantur. Hanc amicißimi sibi salutarem prosequuntur omni veneratione, & huic ego quandiu animâ spirabo meâ famulabor: Quod vt syncera constet approbatione, has positiones vni tibi meritissimo melioris obsequii testes nuncupare, & consecrare non dubitaui, futurus beatior, si tuæ mentis dexteritati, tuæque reuerentiæ meritis, & honori summo dicatas volens admiseris. Vale.

i

QVÆSTIO MEDICA

PRO PRIMO EXAMINE PER INTENTIONEM dicto, proposita ab illustrissimo viro D.D. RICHERO DE BELLEVAL Regis Consiliario & Medico, nec non in alma Monspeliensium Medicorum Academia Professore Regio Anatomico & Botanico dignissimo.

2° *An febribus intermittentibus ante tertium paroxysmum sanguinis missio conueniat.*

FOETVS quamplurimos in parentum perniciem nasci non tam commento viperarum parricidio, quàm segetum ab insectis sua vligine partis extinctarum exemplo compertum est. Fructibus intimis, solidóque arborum stipiti ingenerati vermes authores suos perimunt. Succrescenti rubigine metalla, vt vestes omnigenæ, quælibétque supellex blattis, & carie quas generant conteruntur. Ea enim est ortus, interitúsque rerum omnium societas, vt mutuo veluti nexu reficiantur. Hinc animalium primus ille gressus, vt in vitæ pignus, & iuuamentum, ita in finis fœdus, & nocumentum promitur. Quàm ergo inanis est æternitatis ambitio, si quæ naturæ nectendæ principia, eadem soluendæ prostent. Reclamat siquidem sors animalis se vnius speciei calore, vno eodémque sanguine oriri, & aboriri: hic enim non magis naturæ genius est, quàm carnifex, dum ex nectare viuifico toxicum, ex vitæ lampade fax seditionis euadit: putredine siquidem, vorantibusque flammis efferatus, cordis iecorísque parentum sinus pyroboli instar perfodit, partésque reliquas lactationis studio, moréque hiantes pariter desubulat. Vulgare præterea adeò est febrile illud incendium, vt morbis fere omnibus electus sit conscius, cuius generatio est ἐκτροπὴ τῆς ἐμφύτου θερμασίας ἐπὶ τὸ πυρῶδες quæ si ex fomite intra maiora vasa concluso indesinenter affligat, febris assidua, & συνεχὴς, quemadmodum si ex circuitu abeat redeátque intermittens vocatur, quæ pro triplici humoris putrescentis specie quotidiana, tertiana, quartana nuncupatur: rursusq; pro duplici, aut triplici foco distincto duplex aut triplex tertiana, & quartana sobolescunt, sicuti ex syncero fomite in suo genere puræ, vnde ἀκριβὴς τόχλος πυρετὸς, vt ex cōuenarum humorum miscella nothæ dici solent. Quintanas interim merè biliosas ad tertianã, vt septenas ad quartanam vno interpolato paroxysmo referendas putamus. Hæ verò febres omnes τὸ διαλείπειν dicuntur, quòd in his reciprocatione quadam cor inflammetur, & deferuescat: paroxysmus enim grauius illud periodi tempus, aut pari momento recurrit, vel tenuatâ & exuperante materiâ προληπτικὸς, vt eadem crassescente, vel imminutâ ὑστερητικὸς euadit. Harum præterea omnium cacochymia communis est parens: prægressis enim causis procatharticis febrem quotidianam pituita in ventriculo genita, & redundans celerioris coctionis consuetudine, humorísque ἀλχυμεία singulis diebus paroxysmos suos instaurat. Tertianam in pancreate, mesenterio, cauisq; hepatis bilis lasciuiens mouet: hæc

enim humore pituitoſo ad motum, vt ad coctionem tardior ſegniórque alternis niſi diebus ſuos inſultus renouat. Quartanam denique melancholia lienis anfractibus illaqueata fouet, quod craſſiori ſui mole, ingenitóque lentore viam ſibi præpediendo quarto niſi die exacerbationes ſuas moliatur: Illius enim putredinis orgaſmo, veluti oeſtro percita fœda colluuies in venas, arteriáſque irruit, vbi motus, caloris, corruptelęque petulantiâ καῦμα illud inuritur, εἰς ἀπυρεξίαν παυόμενον, quod ex humorum tenuitate, & paucitate εὐαπόλυτον ſit, & εὐήνιον, vt mox recurrente veluti æſtu ob impreſſam partibus διάθεσιν, ſuperſtitémque imbecillitatem excrementa relegentem, tum propter reſiduum illud περίπλωμα σηπεδονῶδες, occultámque humorum idiotropiam ſtatis periodis incandeſcit: eius autem cacochymiæ vt pars vna maiora vaſa incurſat, pars altera è vaſis in lumbos, ceruicem, & metaphrenum expreſſa membranarum acerrimum ſenſum laceſſit, ſegniùs quidem pituita dum pro hebetudine vernacula niſi frigori leuiſſimo inuehendo par eſt: ita rigorem ciere ſolet vapor, aut ſpiritus acris, quo per partes ſentientes impulſo refugit ab exteriori corpore calor, viſceribúſque intimis concentratus, & ex collectione valentior factus, reciprocante veluti ęſtu ad corporis partes extimas cum impetu redit. Horror verò quartanis comes additus, non aliter differt à rigore, qnam humoris qualitate minùs mordaci, ſegniori, minúſque concitato motu, vt quantitate minori: his enim veluti præcurrentibus ſignis febres intermittentes accedunt, vt iiſdem à continuis diſtinguntur, earum ſimiliter ἐπισημασίαν oſcitatio, & pandiculatio ex vapore in muſculos excuſſo ſignare dicuntur, cui ſtatim annectitur horridulus comes rigor, atróxq; totius corporis concuſſio, móxque quòd ex caloris, ſpiritúſque vario excurſu corpus viciſſim incaleſcat & rigeat ἀνωμαλία ſequitur quæ in ἀκμὴν aſſurgit, dum calor ad amplitudinem ſuam properat, eóque ſenſim exhalante, & ad pedes deuoluto κατάβασις nuncupatur, cui ἀπυρεξία móxque διάλειμμα ſuccedunt. Tertianæ calor confeſtim exardeſcit, & τῇ χειρὶ δακνώδης primò apparens, mox quaſi deuictus ἡσσώμενος comperitur. In quartanis, & pituitoſis prima manus admotione calor mitis, & blandus manu qua premitur tanquam ſtimulatus reſurgit, inde ἐπαναδιδοὺς Hippocrati dictus. Febrium præterea intermittentium grauitatem augurij pollicitatio demulcet, hæ ſiquidem quocunque modo dimiſerint periculo vacant, niſi fortè malignæ fuerint, aut in continuas degenerent: tertiana enim vomitu, ſudoribus, aut diarrhœa, & ſi exquiſita fuerit, etiam quarto, aut ſeptimo die deſinit, vt notha ex miſcella vlteriores moras nectit. Quartana nonnunquam per annos ſæuit, quamuis ſæpius intra menſes aliquot circa proximum ſolſtitium, aut æquinoctium recedat: per eam enim reſarciendis viribus naturæ plus temporis conceditur, quemadmodum plurium affectuum, ſed præcipue conuulſionis ſolutio ſuccedit, vnde in fauſtis niſi fortè ſenibus ſemper habetur. Quoditiana quæ vt plurimùm eſt duplex tertiana paroxyſmorum longitudine viginti ſæpè horas durantium, vt & periodo ad quartum vſque menſem progrediente grauis difficiliſque eſt iudicij. Verùm quoniam incurſione illâ cacochymicâ in vaſa maiora ſanguinis maſſa incaleſcit, & impreſſo miaſmate putredinali non modò in-

ficitur,ſed fuſus inde ſanguis in copiam vt tenuatus atque rarefactus in vaſorum diſtenſionem abit, & moleſtum onus phlebotomiâ excutiendum rependit: hæc enim humores putridos, & corriuantes ventilat, reuellit,& exhaurit, vnde cauſæ non modo antecedenti,ſed & coniunctæ occurrit, viiſque laxatis vt corpus reddit εὔρῤοον ad vlteriorem purgationem febribus intermittentibus per epicraſim repetendam fœliciter diſponit, diremptáque oneris parte natura quâ premebatur ad reliquias conficiendas alacriùs ſeſe accingit. Denique cùm in morbis ſi quid mouendum,initio ante tertium paroxyſmum qui ſaltem in tertiana exquiſita ſtatum contingit præſtò debet eſſe medicina.



Ergo febribus intermittentibus ante tertium paroxyſmum ſanguinis miſſio conuenit.

QVÆSTIO MEDICA

PRO SECVNDO EXAMINE PER INTENTIONEM dicto propoſita ab illuſtriſſimo viro D. D. IACOBO DV RANC Regis Conſiliario, & Medico, nec non in alma Monſpelienſium Medicorum Academia Profeſſore Regio digniſſimo.



3.° *An arthritidi thermæ Belilucanæ.*

SVMMVS rerum parens innumeram quam effudit ſobolem è nihilo ſemel erutam, & in nihilum verſurâ infœlici mox reuerſuram naturâ quam ſingulis inſeruit rurſus eripuit. Plantis, vilioribuſque animalibus inſtinctum, vt nobilioribus ſenſum & inceſſum, quibuſlibet impulſum quo fines ſuos inſequerentur annexuit. Zωophytis contractionis, dilatationiſque niſus languidus obſcuræ & deſidis vitæ munera implet. Multis item inſectis ob originis ſordes anguſtâ organorum ſupellectili neglectis, corporis integra moles plurimo ſpirituum conatu vno ſaltu vibratur. Τῶν πολυπόδων quampluribus καὶ τῶν ἀναίμων omni generi liberiori fato, ſolóque expatiaturis corporis partes ſubſultim, & alternatim καὶ τέσσαρσι σημείοις κινεῖσθαι contigit. Auis ex leuitate bipes: homo cęteris omnibus leuior & calidior rectus & erectus ſolus incedit. Quamuis verò motu crurum ἐπὶ τὸ κοῖλον, & vlnarum ἐπὶ τὸ κυρτὸν animalia cuncta in contrarium verſa ſuperet, hic tamen cum reliquis κατὰ διάμετρον cietur: dextris ſemper ex calore inibi nixuriente pręeuntibus. Quod non aliunde excitari dicendum eſt quàm ex officioſo illo in motus expeditionem durationiſque ſecuritatem membrorum vario flexu. Hinc enim cancris καὶ τοῖς φωλεύουσι progreſſus obliquus, ſerpentibus, & lumbricis vndoſus ſimilis ſimul & diuerſus ineſt. Denique vt auibus alę καὶ τὸ ὀρροπύγιον, piſcibus pinnæ, ita in eiuſdem moliminis apparatum conceſſa eſt naturalis illa oſſium compages quę vulgò ἄρθρον nuncupatur, vt eius impedimentum ἀρθρῖτις quę propriè ſumpta eſt tumor dolorificus partium circa articulos, quem defluxio humoris per venas & arterias motu impedito, & vnitate ſolutâ efficit: hic verò affectus vt populariter, quandoque ita & in eunuchos, abſtemios, & temulentos, ætatem omnem, omnémque ſexum ea tyrannide graſſatur, vt articulorum non modò ſinum, & receſſus, ſed quia παρέργως quaſique titulos ambiat, nomen etiam vſurpet: Occupatis enim pedibus podagra, manibus chiragra, coxendice iſchias vocari gaudet. Ad hunc interim promouendum adeò prompta eſt natura, vt nullus nobis inſit humor quem in parentem non offerat: huius enim ſeminali traduce filius & nepos parentibus annectuntur. Nonne ſanguis copiâ moleſtus paſſim per hæmorrhagias effuſus proſcriptione ad articulos tritâ illinc hieſcentium venarum, arteriarumque viâ ſecedit. Quid inde ſi omni vligine exhauſtâ, ſqualido fundo pepaſmum non ſubeat? Pituita ſui impatiens, ſuique impotens, vtpote alieni termini indiga, vt hydropifico diluuio microcoſmo inferendo eſt, quidni etiam exundandis articulis quibus

coerceatur

coerceatur æqualis? Natura abſceſſus per oſſa molitur, & ad eorum alimoniam humorem melancholicum inducit, cur non ergo ad arthritidem? Bilem tanti mali conſciam ex diarrhoea, & dyſenteria ἀκαίρως ἐπισχεῖσα ex Hippocrate criminari licet. Seroſam denique colluuiem leptomeriâ, vrgentibuſque acrimoniæ ſtimulis, non minùs quàm idioſyncraſiâ ἀρθρέρετον quis non credet? dum ad ſui copiam omnigenam partium intemperiem ſibi vectigalem habeat. Lien teſte Ariſtotele πειρατὰς ἰκμάδας etſi temperatus copioſè cumulat. Hepate frigido pro ſanguinis vbertate liquor incoctus ſtillat: Hoc idem debitò feruentius liquamine retorrido, aut crudis ichωribus quos ventriculo præripit, venarum, impuritatiſque amplitudinem adæquat, talem ſarcinam alicubi tandem depoſiturum, frequentiùs in articulos cùm ob ἴδιαν talis humoris ῥοπὴν plicâ Polonorum ſatis compertam, tum ob inſitam imbecillitatem hęreditario iure tranſmiſſam, aut Bacchi, Veneriſque æque λυσιμέλων abuſu, æſtu immodico, aëris anomaliâ, veris & autumni conſtitutione, ἄῤῥοια ex Hippocrate, aut quauis alia ſolita vacuatione ſupreſſa infœliciter partam. Hæc verò vt inſtigando morbum accerſunt, ſic præſentem prodit eruptio humoris in articulorum ligamenta, & neruos, ſæpius quidem membranas quantitate aut qualitate, vi diſtenſionis aut acredinis ſolutas: vnde dolor immanis in acerbitatem, tumorémque ſenſim aſſurgit, præſertim ſi bilis fota ſit laſciuiis quæ vt pro more furenti & deſultorio huc & illuc petulanter vagatur, ita quandoque membranarum plexu irretita ferocit. Eius præterea altitudinis eſt ille tumor, vt in cauſæ infeſtantis diſcrimen nullus certus inde color emergat: dolor tantùm hebetior motuſque ſegnior, melancholiæ & pituitæ ſæuientium certius præbent ſpecimen. Cæterum cùm arthriticus affectus niſi ſtipatus incedat febrem antecedit, aut ſubſequitur: annectitur plerumque vigilia, ſyncope, delirium, diarrhœa, quæ vt omnem œconomiam euertunt, ita ominoſi exitus ſunt prodromi. Quod ſi peruicaciâ aut negligentiâ conſenuerit, tophis calliſque obfirmatus, aluumque morigeram non habuerit poſt plures ærumnas ſæuum minatur exitium. Iſchiadicus dolor initio mitior curatuque facilior ex contemptu elatus, & atrox euadens affluente identidem humore in articulum ex luxatione χωλείαν vt ex ἀπολήψει vaſorum atrophiam portendit, auſpicatiùs verò morbi cauſa in varices dum ex Auicenna podagricos beant conuertitur. Etſi verò arthritis præſertim bilis œſtro percita celeriter ſua tempora percurrat, plerumque tamen ſedata inflammatione, ægro etſi & medico æquè conſpirantibus niſi intra quadraginta dies (adeo cordus eſt iſte affectus) ſuam non abſoluit hiſtoriam. Nec hoc præterea magis in materiæ craſſitiem aut qualitatis inertiam quàm in languentem articulorum facultatem refundendum. Huius denique mali ea eſt ſæuitia, vt niſi meditato regreſſu ex patente itinere ad partem labore fractam nunquam recedat. Ea peſſima calamitas vt paroxyſmi cruciaturi metus terrorem incutiat, non properantis, agmine fanatico intus conuerſo principibus interniſque partibus tumultum inferente metus ingeminetur. Huius ergo quomodocunque deſinentis acerba ſemper recordatio: fœlicius tamen



ſi per ἄδηλον ἀναπνοήν euaneſcat: aliquando enim in ſaniem, raro in pus abit, ſæpius relicto intra articulum humoris craſſioris ſedimento in tophum vertitur quem tanquam incitum calculum reducere medici non eſt. Agyrtæ eſt polliceri. Prudentiùs verò conſulet qui præſcriptâ diætâ euchymâ, parcâ tamen & abſtemiâ ῥεύματι ὁρμωμένῳ in melius flectendo, reuellendo, & euacuando incumbet, vt ῥεύματι συνισταμένῳ deriuando, exhauriendo, articulorum, partiumque principum ἀσθενείᾳ reſtituendæ ſedulus fuerit. Celebretur ergo quamprimum phlebotomia pro plenitudinis, doloris, inflammationiſque magnitudine vſurpanda: purgatio etiam ex mochlicis imperanda: ex topicis vrgenti inflammationi repellentia, anodyna: progredienti, & declinanti diſcutientia. Ergo ad thermas Belilucanas tanquam ad ſacram anchoram confugiendum: hæ ſiquidem cum naturæ nobis ſtudentis munifica ſint pignora, ita omnis opificij rudem & mimicum conatum ſuperant: etenim arti quæcunque craſſo modo contuſa ſubiacent confuſa magis quàm mixta videntur, at natura vt eſt παντοκράτωρ καὶ πολυμαθὴς ſola interere nouit, & vt vbique ſapientiſſima eſt, ita & hic ſuo ſymbolo plurimùm pollens ſale multo Belilucanas aquas primò condiuit: dein quod in bitumine ſyncerius, & ἐνεργητικώτερον petrelæum vulgò dictum adhibuit: demum ad facultatis ſubſidium aphronitrum immiſcuit, tandémque vt ad patranda miracula, ita ad perfectæ compoſitionis cumulum θεῖόν τι ſuperaddidit, nec aliter earum effluxum per ſtagnum ad orientem inflexit, quàm vt quidquid pretioſi hic ad hominũ ſalutem abundat, illuc ad lapillorum nitorem occurreret. Quid ergo arthriticis prætereà deſiderandum? Initio παραχρηστικὰ conueniunt; at quid ſale ſecurius repellit? An ξηραντικὰ? nonne bitumen diſcutit? Nonne nitrum, & ſulphur cum reliquis exſiccant, humiditatem ſuperfluam abſorbent, articulos fluxionibus immerſos, & inualidos in motus regendi organa fœliciter inſtaurant. Sed eſt quid præterea. Aquæ Belilucanæ potæ, vomitione, aluoque, & vrinis quas mouent humorum ſentinam non modò exhauriunt, ſed & partium internarum næuos abſtergunt. Euanidior portio, vapor ſudoribus quos euocat leuat. Lutum denique ipſum quod alibi inficit illuc omni ἀμμοχωσίᾳ efficacius artus omnes reficit. Verùm cur in Galliæ famam tantum beneficium agro Monſpelienſi addictum eſſe dixerim, non quidem in florentiſſimæ vniuerſitatis majorem commendationem quæ doctrinæ merito, Regiiſque inſtitutis iamdiu ſancita, tot nominibus illuſtrata, tot priuilegiis aucta nil noui indiguit niſi fortè natura in procerum obſequium, & tantæ Academiæ officium omnes ſuos theſauros αὐτομάτως profundat, aut etiam tot ingeniorum claritudine quorum fœcunda & genuina mater ſemper enituit, aut tot clariſſimorum medicorum arte ſemel deuictâ communi illa parente, terra hic in Monſpelij triumphum herbam non modò, ſed & quod ſibi intimius eſt, mineralia porrigat, vel denique tot, tantorumque virorum vota ſignatura præſtantiſſimæ Academiæ medicinæ præſtantiſſimum remedium annectere velit.

Ergo arthritidi thermæ Belilucanæ.

QVÆSTIO MEDICA

PRO TERTIO EXAMINE PER INTENTIONEM dicto proposita ab Illustrissimo viro D. D. LVDOVICO DE SOLINIAC Regis Consiliario, & Medico, necnon in alma Monspeliensium Medicorum Academia Professore Regio dignissimo.



4.° An melancholiæ hypochondriacæ balneum aquæ dulcis.

HVMANA mens sublunaribus cunctis, vt & priuatis affectibus in cerebro, veluti solio dominatura sedet, illustris quidem amplitudinis nactura imperium, nisi caducum adeò vt leuissimo flatu, minimóque humoris appulsu in belluæ sortem deijciatur. Testis est melancholia morbus, delirium illud febris expers cum metu & mœstitia çuius immanitate animalis facultas ex fœculenti flatulentique succi densa, terrestrique caligine, lunæ instar ἔκλειψιν patitur, dum pro splendidis, decorisque imaginibus absurdorum obuersantium phantasmatum tenebris immersa obscuratur, obscurata cæcutit, cęcutiendo aberrat, aberrando expauescit. Hinc melancholia monstro similis, Cerberi instar, specie triplici in humanam perniciem inhiat: illius enim tres differentias artis proceres astruunt, primigeniam vnam ex intemperie frigida & sicca humoréque atro suo marte cerebrum tentante: vniuersalem alteram quam generat humoris melancholici in quoslibet corporis, ita & cerebri recessus exundatio: hypochondriacam vltimam quam hypochondriorum consensus fœda exhinc mephiti expirante suscitat: Huius verò affectus generationi ansam præbent crassa cacochymáque edulia, varicum, hæmorrhoidum, & menstruorum solemnis solitáque vacuatio suppressa, sicuti inter animi pathemata, sollicitudo, diuturnáque anxietas quæ somni, laboris, vigiliarum, venerisque ametriâ, spirituum exhaustu exanimes crassósque, & melancholicos humores cumulant. Causis internis præfigitur lienis obstructio, aut infirmitas, quibus à crassioris excrementi expurgatione cessat, in cuius copiam conspirat frigida sicca hepatis, totiúsque corporis intemperies, siue à vitæ primordiis, aut casu contracta fuerit: hoc idem præstat calor immodicus si ad cinerem vsque humores deurat. Cęterùm cuiuslibet melancholiæ signum ἀχώριστον metus est, & mœstitia, ex nigredine, vt ex frigore animum infringente comites facti: Adest ἀπαιθρωπία, gestuum, verborumque, & factorum deploranda ineptia quę pro vario opinionis, cogitationisque errore diuersa est. Vnde alij quos ἐνθουσιαστικοὺς vocant futuris explicandis implicantur. Quidam dum se reges, aut principes opinantur, imperium affectantes quasi leges condituri multa inani garrulitate effutiunt, & nugantur. Rident aliqui. Multi mœrent. Plures adhuc silent non quidem ἀναυδία, sed quòd ex demissione animi, affectata taciturnitate opinioni pertinaci

morem gerant. Omnes iugi timore concussi iacent, aut hostium insidiis irretitos, aut periculi imminentis, vt epoti veneni sęuitiâ se pereuntes clamitant. Protopathicam prętere a melancholiam propriè signat symptomatum æqualis perennitas absque vlla affectarum partium antegressa sympathia. Vniuersalem verò signa melancholici humoris in omne corpus exuperantis produnt, quemadmodum hypochondriacam rugitus ventris, ructusque frequentes, & lucida interualla quę delirij sunt inducię. Propendent autem in hunc affectum macilenti, hirsuti, nigri, flaui, & ruffi, ἐπίφλεβοι quique κατηφὲς καὶ δυσάνιον πρόσωπον ferunt, vt & quibus subsunt oculi ἐναιρούμενοι ἢ ἀστήρικτοι, imò aliquando in obiecta defixi, & ἀκίνητοι. His fauet autumnus congeneris humoris parens, quemadmodum ver διὰ τὸν παροξυσμὸν humoris atri Solis tepore fusi & agitati. Eiusdem sunt conspirationis ætas consistens aut declinans, animi ob negotia contentio quę viris contumacior menstruatas mulieres rariùs inuadit. Δυσθυμία, & μισανθρωπία cum silentio leucophlegmaticis lethales sunt. Metus, & mœstititia diutiùs perseuerantes vt signum, & causa melancholicum quid portendunt. Melancholicus humor si in atram bilem facessat, & in mentem hoc est cerebri substantiam irrepat, vt in ventriculos epilepsiam, ita illuc versus melancholicum morbum inducit. Tremor, aut conuulsio ectasi melancholicę superuenientes ob siccitatem, aut atrę bilis stimulos in funesti exitus omen accipiuntur. Varices ex melancholia alienatos, vt & hæmorrhoides liberant. Grauis denique hic affectus est, si partis affectę nobilitate, symptomatum sęuitiâ, humorisque qualitate nullus sit grauior. Huic ergo profligando toto ex animo incumbat medicus, & in solertię experimentum non neglectis ex penu medico depromendis, contumax humoris siccitas, & lentor omni conatu diluatur, & deleatur, quibus votis implendis nullum balneo prius est remedium dum poros cutis crassâ fuligine inuiscatos, vt frigore, & squalore connuiuentes (ne dicam) abolitos muneri pristino restituit, ventriculum, & hypochondria incendio æstuantia temperat, ferinámque anathymiasim cerebrum affectantem & afficientem reuellit, rugitus, & ructus, frementésque intra claustra viscerum vaporum debacchantium excursus cohibet: denique cùm ex Galeno toties curentur melancholici quoties humectantur concludimus.



Balneum aquæ dulcis melancholiæ hypochondriacæ conuenire.

QVÆSTIO MEDICA

PRO VLTIMO EXAMINE PER INTENTIONEM dicto proposita à Clarissimo viro D. D. Petro Sanche apud Monspelienses Medicos Doctore aggregato meritissimo.

5.° *An chlorosi chalybs.*



VIVENTIVM natura quælibet cùm fragilis sit & caduca vtpote quæ nisi ὑπαλλαγῇ, restibilique, aut desultoriâ versurâ resurgat scitè semini durationisque suæ ἀναστάσεως sacræ anchoræ, spretis reliquis maiori indulgendi studio tota incumbit. Hinc enim plantarum pullulantium viror qui splendore radiorum humidâ glebâ immersorum χαροπὸς primò micat, accedente πεπάνσει, curáque omni ad semen propagationis spem conuersâ in pallorem sensim elanguescit: quod & virginibus accidit dum ad maturitatem suam ex sanguinis, seminisque luxurie properantibus χλοιοῦσθαι ex Hippocrate contingit: hinc siquidem metaphorâ quorumdam chlorosis nuncupatur morbus ille virgineus vulgò definitus, faciei genuini coloris in lurorem fœda conuersio; cui succenturiantur mœror assiduus, cephalalgia, dyspnœa, κόποι αὐτόματοι, infirmitas totius corporis præsertim verò tibiarum onus ægrè ferentium. Hic præterea affectus inter pubescentis sexus crepundia numerandus: dum enim caloris victoriâ sanguinisque dominatu genitalia pilis, & titillatione luxuriant, mammæ intumescunt, & sororiantur: hic idem in virginibus ex nutritione, accretionéque redundans in vterum naturæ ducis simili imperio confluit, è quo mox viarum asperitate quasi repulsam passus remigrat, iecorisque, lienis, mesenterij, pancreatis, & ventriculi iter relegit, cuius inibi morâ statim prima regio exundat, natiuus calor, omnisque œconomia premitur: vnde crudorum humorum insolens ille prouentus quem vt obstructionum, ita tanti morbi authorem genuinum criminamur, quemadmodum causas procatharticas, & adiuuantes errorem in vsu rerum non naturalium, præsertim carbonum, cinerum, aceti quod Hippocrates ὑστεραλγὲς vocat, aliorumque prauorum eduliorum absurdo appetitu quæsitorum. Quàm præterea temerarius est iste affectus dum virgines vt plurimum intemeratas tentat, oris gratiam, & leporem amantium aram euertit, labia coralli mira rubedine nitentia pallore aut pulligine inficit, scintillantes, igneósque & fulgurantes quos vocant oculos, aquis obruendo palpebras deformiter inflat, tandemque amantes pulchritudinis imperio mancipatos omni venustate deleta restituit: amoris morbus inde simul & remedium vocari gaudet, eáque insuper in sexum immanitate sæuit, vt alacrem eius oxythymiam in corporis animique tarditatem vertat. Hinc enim delicatulis illis pallentibus gressus segnis, titubans, & quasi succiduus, & ex crudo succo elatis vaporibus anhelosus: ex obstructionibus ventilatio impedita pulsus frequentiam, & celeri-

tatem febris æmulã consequitur, quemadmodũ ex corruptis humoribus succedit vomitus & nausea; ex fœda mephiti παλμὸς, nec his semper tãti symptomatis ira coercetur, grauiora nãque vt plurimum minatur dum hydropem ex hepate in scirrhum concrescente, & ex cerebro obsesso καταφορικὰ aliaque cerebri πάθη portendit. Huic præterea palpitatio comes indiuiduus ex syncope, aut febre acuta interitum præsagit. Denique vt ad speciem vsque cacoëthiam suam propaget ex humorum quantitate, aut qualitate, inualido algentique vtero sterilitatis timorem incutit: Qamquam verò ex se contumax est ille morbus, magis quidem si radicibus altioribus, aut hepatis, ventriculique compatientium vitio nitatur: dum enim recens fuerit vtero solo affecto, menstruis ritè erumpentibus fœlicius prætendit augurium, cuius vestigia pressurus medicus non ad alios pro virginum tutela scopos collimet, quam eas obturatas reserare, primæ regionis infarctum expedire, cordis subsultus temperare, languentes sopitásque vires excitare, ventriculi ob vomitum conatus, omnémque dolorem compescere, vultus elegantiam & venustatem ab exilio reuocare: quæ quamuis ardua consequetur diæta euchyma, attenuans, corporis animique laxamentorum, vt & veneris legitima vsurpatio, in quorum subsidium quærantur è pharmacia attenuantia & aperientia, non omissis partium vtero cõdolentium specificis, quibus purgantia præsertim phlegmagoga per epicrasim repetenda immisceantur. Sanguis pro virium, plenitudinisque conditione semel aut sæpius fundendus. Cætera medici vota obsecundat chalybis rectè præparati vsus qui non modò tenuitate partium, aut hepar lienémque roborandi facultate qua pollet, sed siccitate, caloréque sibi innatis ac viribus à mercurio duplici, & sulphure rubro mutuatis cruditatem latentem, & incuneatam, omnemque ἔμφραξιν ita tutò & iucundè soluit, vt nihil sit quod menses certiùs cieat, vnde curatio.



Ergo chlorosi chalybs.

PRO EXAMINE RIGOROSO

Lemmatum quæ fortuitò contigêre, vnum depromptum eſt ex arte parua Galeni, caput nimirum trigeſimum quintum, in quo agit de ſignis cordis frigidioris & humidioris: alterum verò ex aphoriſmis Hippocratis, aphoriſmus ſcilicet duodecimus ſectionis quartæ qui ſic habet

Quorum alui lienteria laborant hyeme per ſuperiora purgari malum.

